

DISSERTATIO ACADEMICA,
COGITATIONES QUASDAM
DE
PHILOSOPHIA POPULARI
COMPLEXA.



Quam,

Conf. Ampliff. Facult. Philos. R. Acad. Aboënsis,

PRÆSIDE

Mag. HENRICO GABRIELE
PORTHAN,

ELOQV. PROF. REG. ET ORD. REG. ACAD. LITT. HUMAN. HIST.
ET ANTIQVITT. NEC NON R. SOC. SCIENT. UPSAL. MEMBRO,

PRO GRADU

Publice examinandam modeſte proponet

GABRIEL PALANDER,

Stip. Reg. Tavafienſis,

In Auditorio Majori die 23 Junii 1798.

Horis a. m. ſolitibus,

A. B. O. Æ,

Typis FRENCKELLIANIS.

THE
COMMISSIONERS OF THE
TREASURY

IN THE
OFFICE OF THE
COMMISSIONERS OF THE
TREASURY

AND

1860

Public examination of the

REVENUE

In

1860

1860

1860



§. I.

C*ognitio Popularis*, quatenus subtiliori illi atque exquisitori opponitur, talem indigitat, quæ ad caput *Populi*, h. e. hominum literis ex professo non deditorum, accommodata est. Facile igitur patet, vim hujus appellationis partim *materiam* sive res ipsas tractandas, partim rationem atque modum easdem proponendi, spectare. Priori respectu non quascunque disputationes, non omnis generis veritates, sed illas præcipue, quæ fructuosæ videntur, quæque maxime simul vel pulcritudine sua delectare animos bene natos, vel attollere mentes, atque vim cogitandi sine defatigatione exercere & acuere valent, complectitur. Ad interiores scilicet literas multa pertinent, quæ & animi intentionem acriorem diuturnioremque poscunt, & illas persequentibus præsentem nullam offerunt utilitatem, sed quæ olim uberrimos forte paritura sunt fructus (cujus rei *Historia Literaria* haud pauca præbet exempla), & interim ad seriem veritatum arctius connectendam, ad complexum earum plenius exhibendum, & ad limites scientiæ insigniter dilatandos, non parum conferunt. Hæc a scriptore *Populari* recte prætereuntur, donec habitu proponi potuerint lætiori: ne *populus tritum* illud ei occinat, *cui bono?* atque tricas inter & inanes subtilitates,

A

qui-

quibus homines eruditi detineantur, illa referat; tum de-
 mum prudentius proferenda, cum pretium eorum palam
 ostentari atque illustrari simul possit. Imitari nempe lite-
 rarum cultores morem illorum debent, qui musea rerum
 vel naturalium vel artificialium locupletia atque pretiosa
 hominibus curiosis ac peregrinatoribus demonstrare so-
 lent, qui alia specimina peritis atque subtilibus rerum
 æstimatoribus in manus tradunt, interno pretio quam
 externo splendore commendabiliora, alia spectatoribus
 minus diligentibus, externa specie maxime captis, ad-
 miranda offerunt. Quæ nonnisi sublimioris & perti-
 nacioris ope calculi, Criticæ & Philologiæ adjumento
 reconditoris & locupletioris, Analyseos auxilio subti-
 lioris & laboriosioris, & sic porro, investigari & de-
 monstrari possunt; ea Scholæ quam generi populari
 aptiora sunt. Respectu autem *formæ*, qua scripta popu-
 laria a difficilioribus illis & tristioribus imprimis distin-
 guuntur, non modo orationis genere lætiore, copio-
 siore, venustiore, lectores allicit, juvat & reficit; sed i-
 maginibus etiam atque exemplis idoneis adhibitis res
 confirmat & illustrat, captivique hominum meditando
 minus adsuætorum adaptat. Itaque scriptor popularis
 vocabulis technicis temperantius utitur, enuntiationum
 abstractarum mole attentionem haud temere lassat, syl-
 logismorum perpetuorum scabritie animos non fati-
 gat. Utile, quantum fieri potest, dulci miscet. Fructus u-
 bertatem, ad sapientiam vitæ prosperius dirigendæ inde
 sperandi, hunc minus simul molestum discendi laborem
non

non detrectantibus, in propinquo ostentat. De hujusmodi igitur Philosophiæ cum indole tum pretio, non semper digne æstimato, pauca disputare placet.

§. II.

Veram *soliditatem* huic generi prorsus denegare multi solent, qui superficiariam & quasi desultoriam quandam levitatem in rebus & explicandis & demonstrandis, ad naturam suam pertinere existimant. Itaque in materia accuratius exponenda morari, ad principia usque assertorum firma indaganda regredi, in nexu propositorum demonstrando elaborare, alienum esse ab ejus consilio docent. Qui turpem de vera rei ratione ignorantiam produnt. Multi sine dubio scriptores semidocti, qui argumenta quæ proponere instituerunt vix primoribus ipsi labris gustarunt, hac ratione turpiter abusi sunt; æque facile putantes, scripto populari res exponere, atque sermone eas perstringere familiari atque in circulis de iisdem garrere. Sed ex horum temeritate atque indiligentia, de toto genere judicium fieri minime debet. Neque etjam, si vel præclarissimorum in hoc genere virorum conatibus (a) nævi quidam adhærent, hos ad ipsum genus pertinere existimandum est. Nec verius rem æstimant, qui hominibus

(a) Quales ex. gr. sunt *VOLTAIRII Exposition de la Philosophie de Newton*, *ALGAROTTII Newtonianisme pour les Femmes*, &c.

bus plane indoctis, feminis, imo vulgo, hujusmodi scripta inprimis consecrari putant; quibus itaque rerum accuratior pertractatio, veritatis diligentior persecutio, dictorum solidior demonstratio, haud conveniat. *Populo* enim (qui cives etiam cultiores, acutiores & rebus expendendis adsuetiores, licet in hac disputatione ab iis qui literarum studio se totos dederunt distinguendos, complectitur), non rudi tantum *plebi*, hoc genus dicari, tenendum est. Minime igitur vel idearum diligentem, lucidam & distinctam explicationem, vel rationum accuratam concatenationem atque seriem, respuit; sed aridam tantum illam, tristem, angustam, uniformem, librorum didacticorum speciem abnuat, ac liberius, lætius, copiosius res proponit atque confirmat: nullis tamen rationum idonearum ponderibus, nullis aptis rerum illustrationibus rejectis; sed quæ tales esse debent, ut habitu indui queant liberaliore, lætiusque excoli atque ornari. Unde simul liquet, tantum abesse, ut egregius scriptor popularis plena ipse, matura & solida carere queat cognitione rei, quam proponendam sumsit (b), ut locupletiore etiam atque copiosiore ejus instructus esse penam debeat, quam qui scholæ tantum scribit. Cui accedere oportet facultatem ideas suas

(b) Sine qua cognitione, cum neque ipse rem plane pleneque tenet, neque nervos argumentationum didicit agnoscere & sentire, quomodo hæc alios docebit? quomodo argumenta feligere apta, eaque rite adornare valebit?

suas exponendi facilem, uberem atque callidam (c). Verbo, Eloquentia quædam cum sapientia conjungenda est; adeo ut hoc etiam nomine plus requiratur ab homine qui in hoc genere versari præclare velit, quam ab iis qui cum assiduis literarum consultis cogitata atque doctrinam suam communicare instituunt. Unde neque mirum haberi debet, adeo paucos fuisse, qui omnes in hoc genere numeros expleverint. Neque existimari debet, ad veram doctrinæ soliditatem requiri, vel ut Scholastica illa Syllogismorum forma ubique conservetur, vel ut etiam axiomatibus, de quibus dubitare sanus nemo potest, demonstrandis, putida adhibita diligentia, ad ultima usque cognitionis humanæ principia semper regredi studeamus (d). Quoties autem de rebus agitur ad doctrinam pertinentibus, atque cognitione vera constantique mentibus hominum instillanda, (non de persuasionem tantum gignenda temporaria), toties ad firmam

A 3

mam

(c) Ingenia etiam lectorum quibus præcipue scribit, formam idearum quibus instructi sunt, cogitandi & ratiocinandi morem illis solennem, &c. cognoscere debet, atque ad hæc operam suam ita accommodare, ut præjudicia illorum feliciter removere, defectibus subvenire, nævos abolere possit.

(d) Quum fundamentum consensus, quem principiis illis primis damus atque non possumus non dare, non nisi in legibus atque indole ingenii humani tandem quæri debeat; ubi ad axiomata perventum est, de quibus sanus dubitare nemo potest, quid magno-

mam conservandam argumentorum vim, quacunque
 ceterum forma propositorum, diligentissime semper at-
 tendendum est. Neque dubitare licet, quin his, habitu
 licet indutis populari, illa æque plena tribui queat, &
 ab hominibus, qui aliis in rebus falsum a vero acute di-
 scernere didicerunt, in placitis etiam Philosophorum
 dijudicandis facile sentiri fidemque certam & constan-
 tem elicere, valeant.

§ III.

Cum igitur veritates generis Philosophici ad has
 leges proponuntur atque inculcantur, existit inde *Phi-*
losophia, quæ *Popularis* nomine commode venit; res,
 ut significavimus, inprimis complectens, vitam huma-
 nam proxime attingentes, quas non Scholæ tantum alu-
 mnorum, sed hominum quorumcunque, cultioris quidem
 conditionis, scire interest. Ut igitur *illis* scribenti incumbit,
 opes cognitionis humanæ diligenter excussas & percen-
 fitas

pere lucrabimur, si hæc etiam ad superiora adhuc prin-
 cipia reducere queamus? Aut num de solidiore Geo-
 metriæ cognitione sibi gratulari merito potest, qui
 axiomaticum etiam *Euclideorum* demonstrationem, ex. g.
 a *Wolffo*, hauserit? Quique ita accurate, sed popula-
 riter, propositam demonstrationem acceperit, ut vim
 concludendi plene perspexerit atque senserit; num
 convictio ejus fortior evadet, si forma syllogistica ex-
 hibitam eandem legerit vel audiverit? Quasi fortius
 stringat ratio, quæ animum magis fatiget!

fitas ditare, atque Theoriam condere rerum accuratam, locupletem & frugiferam; ita nostro ad *horum* atque univēſæ vitæ humanæ uſum Philoſophiæ divitias proprius applicare: quamque intenſive *illis* augent, eandem extenſive dilatare, *horum* eſſe conſilium debet; quos tamen negligere haud oportet, experientiæ & ingenii practici adſcita ope, ſuppētiās ſimul obſervationum utiliſſimarum *illis* ſubinde afferre. Neutrum igitur genus vel contemni debet vel negligi, neutrum ab altero ita diſſociari, vel ei omnino oppoſui, quaſi utriusque opera communiter ad generis humani felicitatem, licet alia via, non tendat. Atque *Popularis* quidem *Philoſophiæ* illa eſt præcipua dos, quod ad multo plures beneficam cognitionis lucem diffundat, ac habitu etiam externo amœniore & gratiore commendabilem reddat; cum ſubtilior illa, quamdiu intra ſcholam manet, non niſi ad paucos pertingat, nec maximam ſuam laudem, quod ſcil. vitæ humanæ lux & magiſtra ſit præſtantiſſima, niſi ſcholæ anguſtiis perruptis atque ad populi uſum deducta, ſibi vindicare tuerique recte non poſſit. Non enim eſt omnibus, honoratioſis etiam conditionis civibus, vel otium vel animus literis ſe altius immergendi, neque id multiplicia rei publicæ negotia illis, vel cupientibus permittunt. Multi tamen, quibus hæc opportunitas deeſt, & ingeniiſ & ſtudio diſcendi eminent, qui vel modica literarum cognitione egregioſi tamen & ſibi & rei publicæ parere valent fructus. Horum igitur ſtudio atque commodis adjumenta afferenda ſunt, ſuis rebus apta:

quo

quo consilio benefica Philosophiæ vis, & ubertas fructuum inde percipiendorum, præclare sentienda præbebitur. Ita penus hæc locupletissima in medio quasi collocatur, unde quod sibi opus sit depromere licet & quæstum negotiorumque genera diversa exercentibus, & literas varias colentibus, Oratoribus, Poëtis &c. Atque hoc etiam, lucis scilicet ad populum uberius diffundendæ nomine, Scripta Periodica (*Wetkskrifter och Dagblad*), quin etiam *Lexica* quæ vocant *Realia*, ad nostrum genus referri quodammodo possunt; licet eatenus vitio simul laborent gravi, quatenus Scientiarum cognitione solida, coherente, systematica, completa, lectores suos instruere atque ornare haud queant.

§. IV.

Sed non ab omnibus tamen rationem hanc Philosophiæ Popularis, pro merito æstimari atque probari videas. Sunt qui exquisitiori illi Philosophiæ generi officere putant; ingeniosam magis quam veram sententiam recinentes, qua Philosophia, (atque omnis adeo doctrina) aquæ instar extra ripas evagantis, quo ambitus suus latius extenditur, eo minus evadere profunda, dicitur. Verendum esse urgent, ne facilioris illius lætiorisque Philosophiæ Popularis amore capti, homines severiorem illam ac subtiliorem negligent, majusque ad ornandas veritates atque commendandas, quam ad perscrutandas & indagandas, studium conferant. Sed primum, qui scientiis ex instituto sese dederunt, & in
 genio

genio valent ad hanc rem idoneo, qui que non tam populi suffragia quam eruditorum iudicia spectant, haud sunt nescii, duplicem esse viam de literis bene merendi, aliamque & splendidiorem laudem scientiarum amplificatoribus, aliam earum propagatoribus, esse propositam: quamobrem non video, quomodo *illorum* studium, quod veritatis etiam persequendæ dulcedine potenter incenditur, per *horum* industriam cohibeatur aut retardetur. Ac verisimile est, quo plures animum ad literas tractandas adjiciunt, eo plura repertum iri ingenia, ad eas enixe rimandas atque perquirendas imprimis apta & proclivia, quæ summatim easdem attigisse non contenti, in interiora earum penetrare, (maxime si debita exquisitæ doctrinæ præmia non desint) impensius studeant. --- Alii Opificum instar, intra suam quorumque societatem suæ artis exercendæ facultatem atque industriam concludi volentium, literarum quasi mysteria evulgari atque extra eruditorum ordinem efferri, ægre pati videntur. Quamobrem sapientiam suam apparatus circumdare tam horrido, terminorumque, phrasium, orationis, totiusque philosophandi rationis munire tamquam vallo, adeo valido altoque fatagunt, ut omnium, qui constantissimo consilio iis sese in disciplinam tradere renuunt, studia a Philosophia discenda deterreant. De quorum ratione quid sentiamus, ex iis quæ supra disputata sunt, iudicium fieri facile potest. --- Alii denique lucem literarum (inprimis earum, quæ Scholæ apparatus orbatæ, minus scilicet solidæ sint,

firmæ atque cautæ), latius diffusam atque ad populum
 etiam propagatam, cum Religioni tum Civitati, quin
 etiam moribus, adeoque felicitati humanæ esse pericu-
 losam censentes, non omnino quidem opprimi debere
 putant (saltem se putare dicunt), ne usus varios cum
 Ecclesia tum Republica perdant, quos easdem ex il-
 lis percipere, negare non audent; sed tamen intra
 Scholam contineri, diligenti cautæque circumspeditioni
 & animadversioni subjici, atque arctis satis circumscri-
 bi cancellis volunt. Hi literas, haud secus ac hostes
 humanitatis occultos, aut ambiguos saltem amicos, con-
 siderare videntur: progressum & incrementa perpetua
 rationis humanæ, ad consilia Creatoris pertinere haud
 concedunt; de fine, dignitate & juribus hominis non fa-
 ventissimam fovent opinionem; inter veritatem, saltem
 cognitam & probatam, atque felicitatem humanam, ne-
 xum esse arctum & necessarium haud existimant! Quam
 perverse atque turpiter! Fuerunt utique tempora, (quæ
 multis locis adhuc durant), cum literæ, mysteriorum
 instar, in paucorum re conditæ servarentur possessione(a).
 In his tenebris, fraudi, injuriæ, oppressioni omnis gene-
 ris, latissima patuit porta. Hierarchiæ Pontificiæ &

Ari-

(a) Notum est, e. gr. statutum *Birgeri* Archiepiscopi Upsa-
 liensis, quæ, sub pœna excommunicationis prohibe-
 bantur *Laici disputare de fide vel de articulis fidei, pu-
 blice vel occulte*, apud Illust. a NETTELBLADT
Schwed. Biblioth. II. Stück, p. 144, Punct. XI legendum.

Aristocratiae mediæ ævi Historia, speciminibus rem confirmat luculentissimis, simulque turpissimis. Despotismus Orientalis, Maroccanus, Nigriticus, tristissimam eam illustrat exemplis. Quam vero fuit facies conversa Europæ, ex quo lux scientiarum lætius diffundi cœpit, & civibus communis effulgere! Quam felix religioni, moribus, vitæ denique omni mutatio orta inde fuit! Populus ferè quisque, cultioris nomine dignus, vernacula sua partes literarum præcipuas, traditas legere aut discere potest (b): illæque non doctis tantum, sed laicis etiam exhibentur, ac ita proponuntur, ut placeant simul, profint & doceant. Sperandum autem ex præclaro hoc consilio fructum non aliter percipere licet, nisi discidio Philosophiæ & humanitatis sublato, scholasticæ stribliginis contagio ex illa ejecto, habitu turpi (c), quam ei denuo inducere multorum perversitas

(b) Agitatam fuisse controversiam, notum est,™ utrum salutare literis esset consilium, sermone easdem vernaculo (spretæ Latina lingua) tradendi; quod, ut de scientiis quas scholæ tractant, dubium videri queat, ita, cum de Philosophia Popolari agitur, ne in quæstionem quidem adduci potest.

(c) Quam agant constanter, quidque (nisi quod Latine discere minus necesse habeant) lucrentur, qui cum Philosophiam lingua potius vernacula quam Latina tradi oportere doceant, illam tamen adhibent ingenti terminorum barbarorum turba oppressam, & difficillimo ratioeinandi more adoptato mortam, (qualis multorum est Philosopho-

tas nititur, exuto, Popularique Philosophia, non minus
 quam interiore illa, & excolenda & commendanda &
 celebranda: illorumque voce, qui veram, solidam &
 fructuosam Philosophiam, Popularem reddi non posse,
 pronuntiare non verentur, ut illius majestati injuria, hu-
 manitati inimica, simulque in Numen sapientissimum
 & beneficentissimum impia, damnata plane atque re-
 jecta.

rum recentissimorum), idonei judicent harum rerum arbi-
 tri. Nobis quidem, verbis licet utentes vel Germanicis
 vel Svecicis &c. adeo tamen peregrina saepe loqui lingua
 videntur, ut qui Arabicam inter nos adhibuerit, non mu-
 lto molestiores popularibus suis tenebras obfuderit.